

cipitem certaminis aleam dare noluisset. Neque a probris in illum congerendis Hispani abstinebant, Anguillario Cæsar is legato Romæ, quæ ab Auria acta fuerant, improbante, atque acerrime fugillante. His rumoribus, ac vocibus adeo acerbe jactatis ita animo angebatur, atque incredibili mœrore conficiebatur, ut Corcyram reversus, raro in publicum prodiret, & cum de Actiaco eventu sermo coram illo haberetur, sera fortasse pœnitentia adductus, vix lachrimas cohiberet. Constat, Ferdinandum Gonzagam, Siciliæ Proregem, duobus Hispanis viris insignibus comitantibus, noctu Capellium imperatorem adiisse, secretoque illi aperuisse, Nicopolitanis successibus Auriam in summa turbatione, ac mœrore versari, lachrimabundum iis, quæ gesta fuerant, indoluisse; cum per se stetisse diceret, quin de hostibus victoria reportaretur: quo circa denuo Turcas adoriri decrevisse; neque quidquam, ut illos profligaret, prætermissurum. His Gonzaga adjecit, Auriae sententiam minime sibi probari: quod, ut antea summo ardore pugnam poscentes, ac victoriæ spe cuncti erecti perspiciebantur; ita, re perperam gesta, remissus impetus esset, & insolitus quidam timor animos affecisset, ut, iterum pugna cum hoste conserta, de universa christiana republica periclitandum foret. Quapropter alia moliri, ac tentare oportere, quibus improsperi ad sinum Ambracium successus compensarentur.

His de rebus cum nuntii Venetas pervenissent, dolor, atque indignatio civitatem universam tenuit, post idem tanto labore foedus; post tot instructas acies, immensos prope effusos sumptus, pulcherrimam obterendi acerrimi hostis occasionem amissam fuisse. Augebant publicam iram, ac mœrorem privatæ literæ, quibus singillatim gesta enarrabantur, atque Auria acerrime proscindebatur, quod in certamen descendere, ac manum cum hoste conserere noluisset. Verum Patres intimos affectus premere consueti, ne infensum sibi Auriam rediderent, penes quem summum foederatorum classis imperium erat, prudenti dissimulatione usi, ad illum Senatus decreto literas dedere, quibus quæcumque ab eo gesta essent, a magno, ac prudenti imperatore, qui omnia consilia ad incolmitatem, ac decus christianæ reipublicæ contulisset, profecta arbitrari se diceret.

*Senatus li-
tere ad An-
dreas Au-
riam.*

Ce-